

Augustinum. Initium prioris: *Ignotus quidem tibi facie &c.* Alterius: *Si cessantibus contradicentium questionibus &c.* Sicut hic, ita et in Editis T. II. nn. CCXXV. et XXVI. a col. 820. se excipiunt.

VII. fol. 436. p. 2. *Liber sancti Augustini de predestinatione* (addito statim *Libri II.* titulo) et *perseuerancia sanctorum.* Init: *Dixisse quidem apostolum scimus &c.* Integra omnia, ut T. X. *Opp.* col. 789.

VIII. fol. 469. *Sermo beati Augustini ad presbiteros ypponenses.* Rectius quidem ita inscriptus, quam *Cod.* seq. Initium, ut ibi: *Rogavi vos hesternis die &c.* Extat T. V. col. 1379. et finit cum praedicto: *seruiant uobis, non seruiam, ut habent edita.*

IX. fol. 472. praemisso Articuli Elencho *Incipit liber beati Augustini de ecclesiasticis dogmatibus.* Initium: *Credimus unum Deum esse &c.* Legitur in *Append.* T. VIII. col. 75. *Gennadio Massil.* tributus, ut docet *Monitum* praevium.

X. fol. 480. praemisso *Retrahat.* L. II. c. 22. loco *Incipit liber Augustini de bono coniugali.* Ita quidam: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars est &c.* Ut *Opp.* T. VI. col. 319.

XI. fol. 490. p. 2. *Incipit liber sancti Augustini contra quinque hereses.* Id est: Paganos, Judaeos, Manichaeos, Sabellianos et Arianos. Initium: *Debitor sum fateor non necessitate &c.* Abjudicatus ab Au-

gustino relatus est a *Maurianis* in *Append.* T. VIII. col. 1. ubi *Admonitionem* praeviam consule.

CCCXVIII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 17^a XV. Folior. 295. f. partim per duas columnas, partim lineis longis, non una manu exaratus, rubricis distinctus, et, ut nota praevia testatur, Collegio Ducali a. 1478. legatus a *M. Tboma de Wuldersdarff* T. D. et *S. Stephani* Canonico sequentia complectitur: I. Trigam *Epistolarum S. Augustini*, nempe unam ad *Italicam*, geminas ad *Valentinum*, quae in edit. *Maur.* T. II. sunt nn. XCII. CCXIV — XV.

II. fol. 4. p. 2. *Ejusdem Augustini Libros II. de libero Arbitrio et Gratia Dei.* Duos ajo; *Libriarius* enim noster *Librum de Correctione et Gratia secundum* inscripsit, addito tamen in fronte altero etiam Titulo: *De Correctione et Gratia.* Extant hi *Libri* continui *Opp.* T. X. col. 717.

III. fol. 28. *Incipit liber Augustini de predestinatione Dei.* Ita olim, sed *Lovanienses* nota suspecti compunctum in *Appendices* amandarunt, ibique apud *Maurianos* legitur T. X. col. 49. ratione in *Monito* praevio reddita. Initium est: *Cum in sacrarum voluminibus literarum &c.*

IV. fol. 34. *Incipit exemplar epistole sancti Valentini monachi* (*Adrumetini*) *ad sanctum augustinum.* Collocanda potius inter II.

Libros n. II. indicatos; et obvia cum T. X. col. 745. tum inter Augustinianas T. II. n. CCXVI.

V. fol. 35. *Quidam sermo beati augustini in quo invenitur ipsum fuisse verum heremitam et patrem Ordinis fratrum heremitarum et fundatorem eorum. Et: Sermo augustini de communi vita. Adde Clericorum. Secundus hic Titulus genuinus est, prior ille frivola detorsio. Sermo nobis incipit: Rogavi vos hesternodie &c. in edit. vero T. V. col. 1379. Propter quod volui et rogavi &c.*

VI. fol. 37. p. 2. praemisso *Retrahat. L. II. c. 6. Loco sequuntur S. Augustini Confessionum Libri XIII. quorum I. incipit: Magnus es Domine et laudabilis valde &c. et postremus finit: sic inuenietur, sic aperietur. Ut T. I. Opp. col. 69.*

VII. fol. 130. p. 2. *Augustinus de Diuinatione Demonum. Ut T. VI. col. 505. Init: Quodam die in diebus festis &c.*

VIII. fol. 134. *Sermo sancti augustini de sermone domini in monte habito. Incipit liber primus augustini de sermone domini in monte. Ita: Sermonem quem locutus est dominus noster &c. Sequitur et Liber II. prout Opp. T. III. col. 165.*

IX. fol. 167. p. 2. *Augustinus ad Paulinam de videndo deum. Inter Epistolas relata est Dissertatio haec epistolaris T. II. n. CXLVII. quae infit: Memor debiti, quod ex tua petitione &c.*

X. fol. 179. *Incipit Liber augustini ad simplicianum mediolanensem episcopum de libris regum. Ini-*

tium est: Satis iam de apostolo me ad proposita respondisse existimo. &c. Unde vides, Librum hunc secundum esse de duobus, qui Opp. T. VI. col. 81. de diversis Quaestionibus inscribuntur.

XI. fol. 185. p. 2. *Incipit liber augustini ad dulcicium de octo questionibus. Liber hic, ut in Codice, ita et in Editis col. 121. praecedentem sequitur. Ejus initium est: Quantum mihi uidetur fili dilectissime &c.*

XII. fol. 192. p. 2. *Incipit de predestinatione disputatio yponosticon. In paginarum rubricis deinceps Augustino tribuitur; sed primum ejus non est, ut docet in Append. T. X. col. 1. praevia Admonitio, istud Ὑπονοστικόν; dein Codex non nisi Sextum et ultimum ejus Librum exhibet, et quidem mutato paullum ingressu: Addere etiam hoc quam maxime huic operi oportet &c. ubi Edita: Licet latius de gratia et libero arbitrio jam superius disputatum sit: tamen addere etiam non nihil quam maxime huic operi oportet &c. Quo loco τὸ non nihil et quam maxime non satis mihi congruere videntur.*

XIII. fol. 196. *ἀντιρρητικὸς Epistola Augustini ad Publicolam, quae T. II. Opp. legitur n. XLVII. et incipit: Estus animi tui postquam didici literis tuis &c.*

XIV. fol. 198. *Incipit augustinus de visitatione infirmorum. Ita: Visitationis gracia nepoti meo karissimo morienti &c. In Libros II. tributum incerti Autoris Opusculum extat in Append. Opp. T. VI. col.*

col. 253. Omnia haecenus *Augustini* relata, sincera et spuria, integra sunt, e probis Exemplaribus petita, et insuper a secunda manu passim limata.

XV. fol. 203. ab alia paullo vetustiore penna: *Liber XII. Signorum*, qui incipit: *Hic est liber similitudinum fortunarum et infortuniorum filiorum ade uite seu mortis eorum secundum XII. signa prout in firmamento et in hora cuiuscunque sub ascensione et descensione natiuitatis disponuntur secundum quod in libris Ptolomei manifeste reperitur.* Nugae astrologicae, quibus nondum omnium Gentium Caledaria purgata sunt. Ad calcem: *Liber Viti de Laa* (infer. Austr.) *sacerdotis.*

XVI. fol. 210. absque titulo Congeries Exemplorum, Apologorum, Fabellarum magnam par-

tem anilis et putida, quarum singulis subiecta est *Reductio*, sive Applicatio ad aliquod Religionis aut Morum placitum pro captu rudis Plebeculae. Narratiuncula I. incipit: *Dorotheus imperator statuit pro lege quod filij parentes suos sustentarent &c.* Ita inuenias Imperatores *Gorgonios, Clongos, Denegarios &c.* Non raro ad *Valerium Max. Iosephum, Plinium, Gestam Romanorum, Vitas PP. &c.* se refert Compiler, qui merito infra *Speculum Exemplorum* Sec. XV. non semel excusum est.

XVII. fol. 254. p. 2. sequuntur Collectanea homiletica de variis Materiis puta: *Usura, Scientia Sacerdotis, Lusu, Decalogo, Confessione, Simonia, variis Peccatorum speciebus &c.* Inter alia fol. 264. p. 2. *Decem precepta in teutonico*, quorum initium:

Merchet di heiligen X pot. di vns lert der ewig gott.

Alle di vor funde wellen pebarn. vnd zu den ewigen gnaden varn.

Vromden got solt du nicht haben. Di dich von deinen scheppher tragen.

Vromde got ist zauber vnd all dinch. Di dir lieber wenne got sint &c.

XVIII. fol. 270. alia Collectanea inscripta: *Naturalia bona et utilia.* Physica sunt e variis Autoribus lecta, v. g. *De Morientibus, raro Infirmis, Fulmine et altitudine Nubium, Diluuijs, Auibus, Dormientibus &c.* Sedulam apem fuisse, quae haec constipavit, argumento sunt *Aristoteles, Constantinus Afric. Hieronymus, Aegidius Col. Avicenna, Richardus a S. Viç. Alexander Alens. Ambrosius,*

Simplicius, Augustinus, Themistius, Cassianus, Plinius, Fulgentius Planc. qui vel prima pagina se offerunt. Est vero etiam *Fontinus in descriptione Universi*, qui similiter in vasto illo Opere *Lumen Animae* dicto citatur, est *Cantobius de giro orbis*, quem nullibi, est *Philaretus in tractatu de Naturis morborum*, quem, siquidem is est, ab *Apollonio et Plutarcho* appellari video. Corrupta fuerint nomina,

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 4603

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I. Wien 1799.

671

C O D I C E S

672

mina, aut scripta deperierint. Interim in illa Librorum raritate et caritate amica certe fuit hominum instructoribus Bibliothecis adfidentium ejusmodi opera. Ad calcem iterum adjectum: *Vitus hunc librum illuminavit.*

CCCXIX.

- U. 88 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. nunc 164. 4. luculente perscriptus, et rubricis distinctus complectitur D. *Aur. Augustini Ep. Hippon. Libros XII. de Genesi ad Litteram*, quorum priorès duo non parum ab humore, situque passi sunt. Inscriptio miniata: *Augustinus super Genesin ad litteram. L. I. initium: Omnis diuina Scriptura bipertita est secundum id quod Dominus significat dicens &c.* Ad calcem L. I. additur: *Legi sexto decimo kalen. decembr. Ad calcem L. II. Lege XVII. kal. Decembris. Ad calcem L. IV. Legi. Liber XII. a vulso fine in his verbis rumpitur: et nunc etiam ad ipsos quos obiurgabat et — —.* Leguntur haec edit. *Maur. Paris. 1689. T. III. P. I. col. 317. ad finem n. 55.* cui editioni non uno loco collatus Codex inter sinceriores referri meretur.

CCCXX.

- R. 3292 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 163. f. maj. per duas columnas eleganter scriptus, et rubricis distinctus insignitur: *In nomine sancte trinitatis Incipit expo-*

sicio primi psalmorum libri Beatissimi Augustini qui etiam decadas est nomine prenotatus. Divisionis in XV. Decadas jam Cassiodorus meminit in Prologo suo in Psalmos, sed eam in Codicibus raro reperiri, obseruarunt Mauriani in Praef. T. IV. Opp. Augustini. Hoc ergo Codice velut T. I. continetur Expositio Quinquagenae I. Psalmorum absque omnibus Prolegomenis, orditurque continuo: Beatus vir qui non abiit &c. de domino nostro ihesu christo id est homine dominico accipiendum est &c. Ad calcem: Explicit. 1. 4. 7. 6.

CCCXXI.

- Codex membranaceus ejusdem R. 3293 rationis, Folior. 313. ab alia manu est Tomus II. inscriptus: *Incipit tractatus aurelij Augustini de quinquagesimo primo psalmo, et infit: Psalmus breuis est de quo loquendum suscepimus &c. ut Edit. supracit. col. 475. Continet Quinquagenam II. Psalmorum, et in fine miniatam hanc Clausulam: Explicit expositio sancti Augustini episcopi eximij doctoris super secundam quinquagenam psalterij comparata a reuerendo in christo patre ac domino domino Benedicte abbate hujus monasterij meense (Mondsee) scripta per fratrem Jacobum keser de wratistauia professum eiusdem monasterij. finita anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo in die sancti felix in pincis.*

Scri.